



*Prec. Z. T.
48 n. 1.*
DISSE^TATI^O IN AVGVRALIS IVRIDICA
QVA

L E G E S *1749*
SVCCEDENDI CONSVETAS *3a*

A D

IVRIS IVSTITIAEQVE *3*
NORMAM EXAMINATAS

INCLYTAE FACVLTATIS IVRIDICAE INDVLTV

SVB PRAESIDIO

VIRI EXCELLENTISSIMI ATQVE CONSULTISSIMI

DOMINI

IOANNIS SAMVELIS FRIDERICI
BOEHMERI ICTI

COMITIS PALATINI CAESAREI

POTENT. PRUSSIAE REGI A CONSILIIS AVLICIS

PROF. IVRIS ORDINARII

ATQVE FACVLTATIS IVRIDICAE H. T. DECANI

PRO SVMMIS IN VTRQVE IVRE HONORIBVS

ATQVE PRIVILEGIIS IMPETRANDIS

D. MAII MDCCXLIX.

H. L. Q. C.

PVBLINE VENTILANDAS PROPONIT

AVCTOR

SIGISM. DAVID HARTLIEB DICTVS WALLSPORN

MEMMINGA - SVEVVS.



HALAE MAGDEBURGICAE

TYPOIS IOANNIS CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

**SACRI ROMANI IMPERII
LIBERAE REIPUBLICAE
MEMMINGENSIS**
VIRIS
**GENEROSIS, MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS,
CONSULTISSIMIS, PRAESTRENVIS,
PRUDENTISSIONIS,**
DOMINIS
CONSULIBVS,
PRAETORI,
A SECRETIORIBVS,
SYNDICO,
ET RELIQVIS
SENATORIBVS,
CONSILIARIO,
AC PUBLICARVM TABVLARVM
DIRECTORI,

PATRIBVS PATRIAЕ OPTIMIS, MAXIMIS,
SVMMAM VALETUDINIS PROSPERITATEM,
CONSILIA SALVERRIMA
SVCESSVS NEGOTIORVM
AVSPICATISSIMOS
OMNEMQVE FELICITATEM
PRECATVS
DISSERTATIONEM HANCCE INAVGVRALEM
SACRAM ESSE CVPIT,
ET
SVMMORVM MAECENATVM
FAVORI AC PATROCINIO
SE SVASQVE RES
SVEMISSA MENTE COMMENDAT
TANTORVM NOMINVM

cultor deuotissimus
AVTOR ET RESPONDENS.



CAPUT I.

De

Juris & Legis differentia.



§. I.

Jus est obligatio actiones hominum dirigens ad eorum salutem a divino nomine imposita. *Quid si jus?*

§. II.

Deducitur ex natura rerum & communis utilitate *I. 5r. §. 2. ad L. Aqu. §. 1. J. d. J. & J. l. 25. de catur?*
L. atque ex tribus fontibus manat, ex natura hominum animali, ex natura rationali & ex indole societatis civilis, hinc **Jus tripartitum** est, **Naturale**, **Gentium** & **Civile** *J. 4. J. d. J. & J. l. l. §. 2. ff. d. J. & J. & ex tribus quoque diversis principiis cognoscitur.*

A 2

§. III.

§. III.

*Quid sit jus
Naturale?*

Jus Naturale est, quod, cum naturae instinctu coniunctum, obligationes observare docet ad sui sive generis conservationem summe necessarias.
pr. J. d. J. N. G. & C.

Hujus principium cognoscendi est: Conservatio sui sive generis cum naturali instinctu coniuncta.

Fluunt exinde Conservatio vitae per usum ac possessionem rerum, *tit. ff. d. acqu. l. amitt. possess.* Defensio sui *l. i. §. 27. ff. d. vi & vi arm.* maris & foeminae coniunctio, liberorum procreatio & educatione, *pr. J. d. J. N. G. & C. l. i. §. 3. ff. d. J. & J.* prohibitio homicidii.

§. IV.

*Quid jus
Gentium?*

Jus Gentium est constitutio rationis humanae, ex necessitate & usu exigente facta, ad transfigendam vitam securam, honestam ac excellentiae hominis dignam in communem humani generis utilitatem. *§. 2. J. d. J. N. G. & C.*

Hujus principium cognoscendi est bonum & aequum. *pr. ff. d. J. & J.*

Constituta sunt per Jus Gentium dominia, Servitutes, Contraetus fere omnes, Delicta, Bella, Servitutes personarum, Manumissiones, &c. *l. 2. 3. 4. & 5. ff. d. J. & J.*

§. V.

*Quid jus
Civile?*

Jus Civile est Constitutio reipubl. in utilitatem civium facta *l. 9. ff. d. J. & J.*

Prin-

Principium cognoscendi & constituendi Jus
Civile est utilitas omnium aut plurium in civitate.
I. u. ff. d. f. & f.

Fit autem ex jure communi, cui aliquid addi-
tur vel detrahitur. *I. u. ff. d. f. & f.* Et quidem Quomodo
jus Civile
constitui de-
bet?
juri 1) permisivo, cum permissa jubentur, vel ve-
rantur. 2) Prohibitivo detrahitur, cum prohibita
non prohibentur, sed permittuntur, v.g. laesio in
emtione & venditione; eidem vero additur, quan-
do cum circumstantiis & sub poena prohibentur.
3) Praeceptivo detrahitur, cum praecepta fieri haud
jubentur, vt in paetis nudis, quae obligationem civi-
lem non producunt; eidem contra additur, si cum
determinatione circumstantiarum & sub poena prae-
cipiuntur.

Haec omnia autem fieri non aliter possunt, nisi
ex vera ratione utilitatis omnium aut plurium ci-
vium. Hac igitur cessante, jus commune mutari
nequit; multo minus autem jure communi prohi-
bita juberi, vel praecepta prohiberi possunt, quod
si fit, non jus, sed nefas & injuria est. Quicquid
enim jure Naturae & Gentium prohibetur, id na-
tura, ratione & iussu divino injustum est, adeoque
nunquam potest permitti, cum ejusmodi prohibi-
tiones nullam dispositionem humanam admittant;
prohibentur autem non solum delicta seu laesiones
in vita & corpore, quae nec in volentem permitti
possunt; sed etiam damna circa patrimonium & ex-
istimationem, quae vero tantum invito, non autem
volenti fieri prohibentur, quia in his bonis exter-

nis cuivis competit liberum disponendi arbitrium, non autem in prioribus. Sic etiam, quod jure Nat. & Gent. praeccipitur, est Dei atque naturae iussus, cui omnes obtemperare debent, sicut a prohibitis omnes abstinere, adeoque neutrum humana auctoritate tolli aut abrogari potest; Et haec sunt, in quibus naturalia, h.e. naturae & gentium, jura, divina quadam providentia constituta, semper firma atque immutabilia permanere debent. *J. n. J. d. J.*
N. G. & C.

Hoc autem jure introducta sunt testamenta aliquaque successiones, aetius legitimi, praescriptio-nes, jura personalia plura, contraetius stricti juris &c. poena determinatae, reliquisque capitibus juri-
ris quaedam adjecta sunt, &c.

§. VI.

Quid sit lex? Lex est Consultum virorum prudentium pro dirigendis Civium actionibus ad populum delatum & cum vi cogendi externa a republ. munitum. *I. i.*
& 2. ff. de LL.

§. VII.

Ad constituendam autem legem requiritur ut 1) nec prohibita jubeat, nec praecpta prohibeat. 2) Naturae rerum non repugnet. 3) Ex alterutro principiorum supra dictorum necessario fluat. Et si est juris Civilis, praeterea necesse est, ut 4) juri communi aliquid addatur vel detrahatur. 5) Atque specialis & vera constituendae legis ratio adsit.

§. VIII.

§. VIII.

Quod ad divisionem attinet, lex est 1) vel naturalis, vel juris gentium, quando solum jus naturalis vel gentium continet & ad illud observandum cogit; vel civilis mera aut mixta, quando vel solum jus civile vel mixtum cum iure communi proponit atque injungit; 2) vel justa vel injusta, prout secundum regulas constituendi leges modo mentionatae composita est nec ne?

§. IX.

JCti igitur est, in justitiam legum inquirere, *Justitia le-*
Illusfr. Cancell. BOEHMER. in Comp. ff. L. 1. t. 1. §. 9. gum inqui-
ut leges benignius interpretetur, nec illas duriore renda.
interpretatione contra hominum commodum pro-
ducat L. 18. & 25. ff. d. LL. l. 56. d. R. §. praecipue
vero judicis, ne ex injusta lege iniquam sententiam
dicat. l. 14. l. 39. ff. d. LL. l. 141. d. R. §. sed justis de-
cretis res temperet l. 85. §. 2. d. R. §.

§. X.

Lex igitur succedendi est decretum reipubl. *Quid lex*
de bonis defuncti in alium transferendis. *succedendi?*

§. XI.

Hicce jam praemissis animum applicare in
 praesenti dissertatione constitui ad LL. succedendi
 in Germania usitatas, atque in rationes earum in-
 quirere & fundamenta juris vera vel apparentia seu
 spuria, quibus innituntur, excutere. *Quem in fi-*
nem

nem explicandum nunc erit, an neque naturae rerum, neque communi hominum utilitati repugnant, adeoque ex aliquo juris principio supra posito possint vel nequeant deduci?

C A P. II.

*De**Legibus succedendi ab intestato
earumque jure.*

§. I.

*Morte sol-
vuntur
omnia jura.* **M**ors est finis omnium rerum adeoque per mortem hominis omnia ejus jura solvuntur necessario. Etenim bona hujus mundi in gratiam viventium tantum sunt concessa ad sustentandam vitam pro necessitate & utilitate. Mortuo vero homine haec omnia cessant, & cum usu rerum ipsum quoque earum dominium omniaque jura expirant, quae defunctus in bona relista habuit.

§. II.

*Quomodo
jus in re aliena Jure Gent. acquiri nequit, nisi
per traditionem alienandi animo factam, vel per
najure Gent. coniunctionem rerum inseparabilem l. 20. C. d. pac*t*.
acquiritur. Alios enim modos, quibus res unius alterius fieri potest, ratio nescit, eo quod vel aequitati, vel rerum naturae repugnant. l u. l. 135. d. R. f.*

§. III.

§. III.

Res, quarum dominium cessat, & quae eo *Res nullius*
ipso momento ab alio non acquiruntur, fiunt nul-*quomodo*
lius. Res autem nullius cedunt occupanti. *I. 3. pr. fiant?*
ff. d. A.R.D.

§. IV.

Exinde consequitur, quod res defuncti statim *Res defuncti*
post ejus mortem fiant res nullius, dominoque ca-*fiant res*
rentes *I. i. pr. d. Succ. Ed.* & proximo occupanti *nullius*.
cedant. Ergo communi Naturae & Gentium jure
cuivis liberum est 1) illas sibi occupare; 2) traditas
sibi antea ex titulo dominii non translativo, reti-
nere; 3) nomina, quae quis defuncto debuit, ne-
mini solvere, utpote per mortem ejus, cui deben-
tur, extincta.

§. V.

Haec quidem ita se habent in homine sine li-*Liberi ha-*
beris defuncto. In illo vero, qui liberis relictis e*bent condon-*
vita discedit, non idem juris est. Etenim liberi vi-*minium in*
vis jam parentibus simul cum illis quoque habent *bonis paren-*
rerum paternarum non solum usum, sed & ipsum *tum.*
quodammodo h. e. pro parte dominium. Et ideo
vocantur heredes sui & domestici, qui vivo etiam
patre quodammodo domini existimantur. *§. 2. §.*
d. her. qual. Rom. VIII. v. 14. PLAVT. Trin. II. 2.
ubi filius patri respondet: quod tuum est, meum
est: omne meum est autem tuum.

B

§. VI.

§. VI.

*Fundamen-
tum hujus
condominii.*

Uſus bonorum, quem liberi cum parentibus communem habent, uti quotidiana omnium nationum experientia testatur, fundatur in congenito erga liberos amore & educationis cura; Condominium autem depender ex parentum consensu eorumque communi voto, ut liberi sint bonorum particeps, quae non tantum propter se, sed etiam propter illos conquirunt, adeoque sua vivi cum liberis partiuntur, ut inquit CICERO *l. Verr. v. l. 7.* *§. 1. und. lib. l. 50. §. 2. d. bon. libert. l. 13. §. 2. C. d. legit. her.*

§. VII.

Inde fit, ut mortuis parentibus liberi non tantum sine bonorum relictorum possessores *l. 30. pr. ff. ex qu. cav. maj.* & apprehensam olim possessionem etiam solo animo retineant, *l. 3. §. 7. l. 44. l. 46. d. Acqu. l. Am. poss.* verum etiam jam domini existimantur, adeoque nulla proprie est hereditas, sed potius dominium, quod cum parentibus pro indiviso erat commune, in ipsis continuatur, & post mortem illorum tantum liberam bonorum administrationem consequuntur. *§. 3. §. d. her. qu. ab int. l. 11. ff. d. lib. & posth.*

§. VIII.

*Dubium
contra libe-
rorum domi-
nium.*

Obstare quidem videtur huic liberorum dominio, quod licet parentibus eos exhaeredare, id quod haud licet, si liberi jus quaeſitum haberent

rent in bona paterna per commune dominium. Sed ipse JCtus in *cit. l. u. ff. d. lib. & posth.* huic objectioni respondet per instantiam: quod & occidere licebat. Quo ipso innuit, quod jus exhaeredandi liberos parentibus sit concessum per jus Civile, sicuti jus illos occidendi, adeoque juri Gentium tantum in hac parte fuisset derogatum, & commune dominium ipsis salvum mansisset. Nam cum per patriam potestatem antiquam parentibus romanis semel datum fuisset jus occidendi liberos tanquam majus, facile etiam jus exhaeredandi ceu minus concedi potuit. Sed hodie, quo jus antiquum iterum sublatum est per *Novell. u5. cap. 3.* qua non amplius licet parentibus liberos exhaeredare sine justa ingratitudinis causa; hodierna exhaeredatio non amplius obstat communi librorum dominio, verum cum eo simul subsistere potest, eo quod juri Gentium minime repugnet. Quoniam enim hoc condominium ex consensu, liberalitate & affectione parentum erga liberos provenit; dominium vero ex liberalitate concessum revocare iterum licet propter ingratitudinem, *l. io.* *C. d. rev. don.* neque jure Gentium parentibus denegari potest jus exhaeredandi & auferendi iterum concessum condominium liberis ingratis & paterna affectione atque beneficio indignis.

§. IX.

Cum itaque ratio naturalis parentum bona *Hinc primi addicere intelligebatur liberis l. 7. §. 1. Und. lib. & succedunt B 2 l. 7. liberis.*

l. 7. pr. ff. d. bon. damn. penes quos manerent post
illorum mortem; Consuetudine obtinuit apud o-
mnes, ut in Successione prima causa sit liberorum,
§. 2. f. d. her. qual. & diff. l. 1. §. 5. ff. Und. liber.
§. 1. 2. f. d. her. qu. ab int. Nov. n. 8. cap. 1. 2. feud. n.
Num. 27. v. 8. quae consuetudo in cit. l. 7. pr. d.
bon. dam. vocatur lex tacita, qua liberi gaudent ju-
re acquirendi parentum bona, exclusis aliis.

§. X.

*Atque nepo-
tes &c.*

Et quia nepotes & ulteriorum graduum pro-
gnati etiam liberi sunt; his quoque bona avi, in
descenditu priorum, eodem jure deberi censebantur,
§. 2. f. d. her. qu. ab int.

§. XI.

*Conseßaria
condominii,
quod liberi
habent in bo-
nis paren-
tum.*

- Exinde consequitur, quod liberi
1. sint heredes ipso jure, nec adire hereditatem
necessitate habeant, aut declarare se, quod ve-
lint esse heredes, *l. 14. d. Suis. l. 6. §. 5. d. acqu.*
l. omitt. her.
 2. illis ignorantibus acquiratur hereditas, *§. 3. f.*
d. her. qu. ab int. l. 6. d. acqu. her. l. 8. C. d.
jur. del.
 3. hereditatem nondum aditam transmittant ad
suos heredes. *l. 3. l. 19. C. d. jur. del.*
 4. illis

4. illis bona auferri nequeant hereditaria ob poenam parentum. *I. 7. pr. ff. d. bon. dam.*
5. Detur illis a praetore B. P. patris intestati, *I. i.*
§. 2. quis Ord. nec non contra tabulas, §. 3.
§. d. B. P. I. i. ff. d. B. P. Cont. tabb.
6. Jus abstinenti acceperint a praetore tanquam singulare beneficium *§. 2. §. d. her. qual. & diff.*

§. XII.

Sequitur Successio Conjugum, quae aequo *Successio* fundatum suum in jure Gentium habet. Nam *Conjugum* uxor per matrimonium fit socia vitae *I. 4. C. d. est etiam juris Gentium.* *Crim. exp. her.* Involvit autem haec societas communionem juris humani h.e. bonorum, *I. i. d. R. N.* *DYONYS. Hal. II. p. 95. CICER. Top. IV.* hinc non solum usum habet in rebus mariti, sed etiam illarum quodammodo est domina, *I. i. ff. d. act. rer. am.* Nititur vero haec societas pacto per matrimonium inito, quo vel expresse, vel tacite in communionem bonorum consentiunt Conjuges, dum iis communiter utuntur. Quid enim rationi magis est consentaneum, quam illorum bona esse communia, qui ex communi aerario vivunt, cibum & potum sumunt communem, uno coenaculo, unoque lecto utuntur, qui labores conferunt in communem utilitatem & exinde fructus communes capiunt, qui operas sibi invicem praestitas nullo pre-

B 3 tio,

tio, sed mutuis officiis compensant. Quae facta, nisi contrarium expresse fuerit declaratum, initam communionem ipsis rerum argumentis evidenter demonstrare possunt. Et ex hac ratione actio furti contra uxorem non datur *l. i. cit.* Ex quo igitur consequitur, quod altero coniuge demortuo superstes jus habeat succedendi in bona relieta ex condominio.

§. XIII.

Ex his vero quae hucusque adducta sunt, nunc patet, quod leges succedendi liberorum & Conjugum fundamentum justitiae radicatum habent in jure Gentium eiusque condominio aedeoque cum principio boni & aequi plane convenient.

§. XIV.

*Reliquae
successiones
sunt juris
civilis.*

*Primum lo-
cum tenet
populus.*

Transeo hinc ad leges succedendi reliquas, quae juris Civilis sunt & ex ratione civili vera vel apparenti constitutae. Cum enim jure Gentium bona sine liberis & coniuge defuncti fiant res nullius; jure civili communes sunt istius civitatis, cuius defunctus membrum fuit. In hunc enim finem Gentes in arctiores societates se consociarunt & per statum civilem imperii jugum in se suscep- runt, ut se suaque a vi atque injuria aliorum tam externa quam interna defenderent & tuta haberent; quia vero bona medium sese defendendi prae-

praebent maximum & omnem vim gerendarum rerum continent; hinc securitas reipubl. requirebat, ut populus ad hunc finem consociatus constitueret, res concivis post mortem relietas non amplius fieri res nullius, sed manere in societate & fieri communes omnium civium, qui inde aequale jus in illa habent exclusis peregrinis. Et ejusmodi res vocantur publicae, quae in patrimonio populi sunt, in eoque conservantur, si illarum usus possit esse communis *I. 2. §. 3.* ne quid in loc. pub. vel si hoc fieri nequeat, inter cives disptienda sunt. Et hoc fiebat antiquitus, quo jus percipiendarum hereditatum angustissimis finibus coarctatum fuerat, *§. 1. §. d. B. P.* eoque tempore bona sine liberis & coniuge defunctorum accrescebant reipublicae.

TACIT. Annal. III. 28.

§. XV.

Cum vero bona alicujus demortui relicta *A populo* rissime ejus conditionis essent, ut eorum proprietas populo conservari, & usus omnibus communis fieri potuisset, & praeterea difficile erat, ea inter multos cives disptiri ac singuli ob partes minutiores parum commodi inde haberent; constitutum fuit legibus civilibus, ut potius universa bona certis personis assignarentur, & hoc primum factum est *LL. XII. tabb.* quibus in liberorum defectu hereditas proximis agnatis tantum delata fuit, non remotioribus. *t. t. §. d. leg. ag. success.*

CAJ.

C A J. Inst. II. 8. 4. P A V L. Recept. Sent. IV. 8. 23.
 U L P. fragm. 25. 5. postea per praetores aliasque
 Imp. Constitutiones etiam matri, f. 1. 2. & 4. f. d.
 S C t. Tert. & denique cognatis reliquis usque ad
 sextum gradum t. t. f. d. Succ. cogn.

Justinian. vero alium ordinem succedendi
 constituit, & quidem talem, ut, deficientibus
 descenditibus, primum ascendentes & deinde colla-
 terales reliqui sine discrimine, defunctorum here-
 ditates caperent. Nov. 118.

§. XVI.

*Justitia ha-
rum legum
inquiritur.*

Jam vero, ut in justitiam harum legum in-
 quiramus, examinandum erit, an secundum regu-
 las juris civilis sint compositae vel ab illis recedant?
 Et constabit, quod nullam in se contineant injuri-
 am omniq[ue] injustitia careant, eo quod 1) jus pro-
 hibiticum aut praeceptivum non sublatum, nec
 alicuius jus quaesitum laesum sit. 2) Detrahitur
 tantum juri gentium permissivo, quo cuivis occu-
 pare licet bona sine liberis & conjugi defuncti.
 3) Tendit in utilitatem plurium, quia plures cives
 consanguineos habent, quibus eorum hereditas
 per mortem deferri potest. Denique 4) subest
 peculiaris ratio, quare certis quibusdam personis
 prae aliis bona relicta deptur. Quoad agnatos
 proximos enim & gentiles videtur fuisse ratio,
 quod veteres conservationem, incrementum ac
 hono-

honorem familiae suae in maximis deliciis habuerint. Quod ad matrem vero attinet, illa ex ratione miserationis ad hereditatem liberorum suorum admissa est *l. 7. §. 1. ff. Und. leg. §. 1. & 2. §. de Sct. Tertull.* Sed ratio legum succedendi, quos Justin. in favorem ascendentium & collateralium concepit, fundatur in amore erga illos & majori obligatione succurrendi eorum necessitatibus. Ex amore enim fluunt beneficia, & illis, quos magis amamus aut amare debemus, ad majora officia obstringimur; debemus autem propter amorem reciprocum & beneficia accepta. Ad officia igitur diligentissima & beneficia maxima obligamur iis, quos amicitiae ac familiaritatis suavitas nobiscum conjunxit. At vero parentes inter omnes amicos primi sunt, & veri & maxime sinceri atque constantes, qui liberos amore summo & infucato perpetuo prosequuntur, eisque beneficia maxima per procreationem & educationem exhibuerunt. His regulariter succedunt fratres & sorores ac reliqui ordine consanguinei, & propterea constitutum fuit a Justiniano, ut parentibus & collateralibus reciproca amicitia praecipue debeatur, adeoque ut digni habeantur prae aliis, bonis a defuncto relietis.

§. XVII.

Nullis Consanguineis extantibus, res redibat
ad pristinum statum & populus velut parens omni-
C *Illis deficien-
tibus succe-
um*

*dit civitas
vel colle-
gium.*

um vacantia bona tenebat, TACIT. loc. *supra cit.*
ULP. frag. XXVII. 7.

Hinc Civitates & Collegia, quorum defunctus membrum fuerat, proximitum jus habebant in defuncti bona t. t. C. d. hered. decur. l. i. C. d. bon. vac. quae inter membra collegiorum, quae pauca fuerant, facile dispergiri potuerunt; l. 3. 4. 5. d. her. dec. sed civitates ob multitudinem civium illa in aerarium suum referebant communis utilitatis causa constitutum, l. 5. C. d. bon. vac. l. 12. pr. & l. 15. §. 3. ff. d. jur. fisc.

§. XVIII.

*De justitia
barum le-
gum.*

Quod ad justitiam harum legum attinet, quibus res publica civium suorum bona per mortem relicta sibi vindicabat, exclusis peregrinis, itidem patet, quod 1) contra jus Gentium prohibitivum aut praceptivum nihil constitutum, sed 2) juri permissivo tantum sit detraictum, quo facultas competebat cuivis homini occupandi bona per alijus mortem derelicta. 3) Vergebat hoc in utilitatem omnium reipubl. civium, qui omnes inde siebant participes, & 4) certa & adaequata ratio hujus legis in promptu est, ex fine reipubl. desumpta. Hic enim est communis securitas tam interna quam praecipue externa contra alienarum gentium impetus atque injurias, ad quam obtainendam omnes vires tam corporis quam honorum confer-

conferre atque conjungere constituit populus; ad eoque sequitur, quod teneatur quoque adhibere media ad finem hunc ducentia, ad quae utique etiam pertinet, ut bona civium conserventur penes populum in salutem reipubl. quae ipsius suprema lex est. Sed quando civitas, quae reipubl. pars est, vel Collegium bona suorum membrorum per mortem derelicta prae reliquis sibi afferit, id fieri potest omnino jure proximitatis, & quod incommoda sui concivis aut collegae prae reliquis ferre tenebatur; aequalitas enim non patitur, ut, qui sentiat incommoda, ille non habeat commoda. *I. 10.*
d. R. J.

§. XIX.

Tandem vero Iupp. Romani, Hadrian. pro parte & Anton. Caracalla omnia bona vacantia civitatibus erepta in fiscum suum trahebant. *I. 1. & ult. C. d. bon. vac.* Nam princeps repraesentat totum populum, hujusque jura in illum sunt translata, adeoque bona sine heredum defuneti, quae res nullius sunt & ad populum iterum devolvuntur, eodem jure in principis, ac civitatis fiscum referri possunt.

§. XX.

Huc denique pertinet jus Albinagii, quo hereditas alicuius civis vel peregrini in regno defun*De jure Albinagii.*
C 2
cti

Eti heredibus ab intestato extra regnum viventibus eripitur & in fiscum resertur. Quod ad hujus legis justitiam attinet, de ea non nisi facta heredum distinctione judicari potest. Quodsi enim heredes ab intestato sunt liberi aut conjuges, agitur contra jus Gentium prohibitivum, quo nulli hominum jus suum quaeſitum auferri atque detrahi potest, §. 2. J. d. his qu. sui l. al. adeoque hoc caſu iuſta eſt. Quodsi vero ſunt alii consanguinei, eorum ſuccelio eſt meri juris civilis, id quod ſalva aequitate atque iuſtitia ſemper mutari potest. J. u. J. d. J. N. G. & C.

C A P. III.

De

*Legibus ſuccedendi ex testamento
earumque jure.*

§. I.

SUccessio testamentaria eſt jus, quo hereditas ex diſpoſitione de rebus ſuis facta, poſt mortem in aliū transferuntur.

§. II.

De jure teſta-
mentorum. De cujus iure ut videamus, reperenda erunt ſupra dicta, quod bona ſine liberis & conju-
ge defuncto.

functorum ad rem publ. devolvebantur. Et licet saepius exinde parum utilitatis in singulos redundaret, tamen non nisi consensu & permisso populi, facta ad illum rogatione, fieri potuit, ut cui licet bona sua amico quodam promittere, qui solus habeat jus illa occupandi post mortem suam. Et hac de causa hoc negotium antiquitus apud Romanos quoque tantum in Comitiis expediri poterat. *ſ. i. ſ. d. test. ord.*

§. III.

Primus legitur Solon, qui non extantibus liberiis facultatem concessit civibus de bonis suis fastandi anti-ciendi dispositionem post mortem valitaram. *De modo testandi anticiendi dispositio- nes post mortem. PLV. quo ejusque TARCH. Solon. p. 90. DEMOSTH. Orat. in Soph. jure.*
II. p. 983. Quem modum testandi Romani per XII. Tabb. a Graecis acceperunt cum ipsis solennibus ad illum necessariis & secundum Balduinum, in XII. Tabb. praescriptis. *BALD. ad XII. Tabb. Tab. 29. GELL. Noct. Att. XV. 13. VI. 7.* Erant autem solennia haec, ut adhiberentur 5. testes Civives romani, cum ante statu & libripende, & venditione bonorum per aes & libram familiae emtori fieret a testatore. Hic constitutus modus in aliud transferendi bona sua post mortem relieta a jure Gentium non abhorrebat. Nam 1) 5. testes representabant populum romanum universum in 5. Clases divisum, ejusque nomine consensum interponere debebant in translationem bonorum, ad

quae jus quaesitum habebat, qua de re testamen-
ta vocantur juris publici 1. 3. ff. qu. *testam. fac.*
2) adhibebatur antestatus cum libripende ad con-
ficiendum contractum emtionis & venditionis per
aes & libram, quem testator cum familiae emtore
celebrabat & hoc ipso jus in bona sua in illum
transferebat secundum jus Gentium. 3) Accede-
bat etiam ipsa mercis traditio symbolica, per tabu-
las, qua proprietas ad familiae emtorem transfe-
rebat ʃ. 45. ʃ. d. A. R. D. 1. 9. ʃ. 6. ff. eod. vel per
exhibitionem rei praesentis, 1. 1. ʃ. 21. d. A. 1. O. P.
& solutio pretii licet inaequalis. Ergo haec bono-
rum translatio etiam ex principiis juris Gentium
& natura rerum valide erat concepta, in hunc ef-
fectum, ut familiae emtor post testatoris mortem
possessionem bonorum naturalem juste potuerit
apprehendere.

§. IV.

*De modo te-
standi novo* Successu vero temporis aliis testandi modus
eiusque jure. introductus est tam per praetores atque Impp. Con-
stitutiones, quam ex usu hominum ʃ. 2. 3. ʃ. d. *test.*
ord. Non enim testamenta amplius fiebant per Con-
tractum venditionis, nec traditio ulla porro requi-
rebatur, sed sola unius testatoris voluntate coram
7. civibus vel declarata, vel conscripta & subsignata
absolvebantur, qui venditionem per antestatum &
libripendem coram deputatis populi, olim factam,
nunc fite repraesentabant, & solum testimonium
de

de testatoris voluntate certa perhibebant. Et hoc modo testamenta meritis juris civilis regulis fuerunt inclusa l. 4. ff. qu. test. fac. atque ab omnibus juris gentium principiis plane recesserunt. Nam res unius in alium transferri nequeunt, nisi per utriusque consensum & subsequentam traditionem, aliove facto, quod loco traditionis est; hic vero heredis consensus deficit, qui ignorat, quid in testamento sit scriptum, nec bonorum traditio a testatore peragitur; neque enim occupatio heredis volente testatore facta loco traditionis esse potest, quia testatore mortuo ejus voluntas atque dominium cessat, & nec natura rerum, nec ulla juris ratio patitur, ut dominia rerum transferantur eo tempore, quo ipse tradens non amplius est dominus. Certum igitur est, quod haec successio testamentaria praeter omnes juris rationes sit constituta, eo quod 1) neque omnium, neque plurium civium utilitatem contineat, morrui enim inde nullam capiunt, & quam vivi delectationem habent, imaginaria est, quae per actualem rerum traditionem ante mortem expediri posset. 2) Nulla hujus legis vera afferri potest ratio, nisi haec vana delectatio nominandi sibi heredem & cognoscendi illum, qui post mortem bonorum suorum dominus esse debat. Falluntur itaque isti juris tyrones, qui solidaromanarum legum cognitione destituti afferere conantur, testamenta esse juris Naturae.

CAP.

C A P. IV.

De

*Legibus succedendi ex pacto
earumque jure.*

§. I.

Successio pactitia dicitur jus, quo per pactum bona in alium transferuntur post mortem capienda.

§. II.

*De pactis
sucessoriis
eorumque
jure.*

Romano jure, pacta successoria irrita sunt l. 15.
ag. C. d. pact. l. 4. C. d. inut. stip. l. 5. C. d. pact. conv.
& contra bonos mores consébantur, l. 61. d. V. O.
hodie vero valida habentur, praecipue jure Germanico & vsu gentium quarundam, GOTHOF R.
ad l. 19. C. d. pact. hinc operaे pretium erit, in harum quoque legum justitiam inquirere. Quae si secundum regulas juris examinentur, certum est
1) illas contra jus prohibitivum ad minimum per indirectum esse conceptas, eo quod ejusmodi pacta occasionem & materiam suppeditant pacifcentibus sperandi & exoptandi mortem alterius & saepe etiam incitant ad machinationes occultas accelerandi fatalem diem, adeoque hoc ipso pacifcentes præsertim lucro inhiantes invitantur, ut jura gen-

gentium prohibitiva transgrediantur; hac igitur de causa contra bonos mores esse recte dicuntur. Nam leges ita comparatae esse debent, ut non viam ad delicta aperiant, sed potius omnes aditus claudant, atque occasiones male agendi hominibus sollicite praecripant. Ergo ex hoc tantum capite pacta successoria pro legibus justis haberi nequeunt. Porro 2) neque omnium, neque plurimum ci-vium utilitas inde enascitur. Denique 3) nulla juris ratione nituntur, sunt enim contra naturam paetorum, quae requirit, ut horum objectum sit in dominio aut in bonis vel potestate paciscen-tis usque dum implementum fuerit secutum; si enim antea ex ejus bonis aut potestate exierit, im-possible est, ut impleri possit adeoque necesse est, ut paetum initum iterum evanescat. Hinc post mortem stipulatoris vel promissoris concepsa sti-pulatio, recte inutilis est, §. 13. §. d. inut. stip. quia impossibile est eam implere, & nemo ita stultus invenitur, ut putaret, mortuum sensum habere complendi, quod vivus promiserat, uti dicitur in I. ult. C. d. contr. stip. quaecunque enim ex nostro contractu originem trahunt, nisi ex nostra perso-na obligationis initium sumant, aetum nostrum efficiant inianem, sunt verba Jcti in I. n. ff. d. O. & A. Nec obstat Justiniani, licet incongrua correctio in alleg. §. 13. §. & I. ult. C. adjecta, quae in heredes dirigitur, qui per aditionem hereditatis ad praestanda defuncti facta obligari jure civili pos-sunt.

D

§. III.

§. III.

Tantum igitur abest, ut necessitas datam fidem servandi praesidio esse possit successoris patet, ut potius contra bonam fidem agere videantur pacientes, qui promittunt id, quod alieno arbitrio permittere, & an eventum habeat, incerti & ambigui haerere, coguntur. Qua de causa pacta successoria a ratione juris aliena & bonis moribus contraria esse, nec legum civilium autoritate fulciri posse, recte judicantur.

§. IV.

Haec interim de legum justitia inquirenda exempli loco dixisse sufficiant. Usus ejus in condendis, interpretandis atque exequendis legibus amplissimus atque in administrando jure saluberrimus esse potest.



PRAE-

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO,

AMICO SUO CHARISSIMO,

S. P. D.

JOH. WOLFFG. BRENNCK,

PHILOS. M. ET JUR. CAND.

OPPONENTS.

Ea est verae amicitiae ratio, ut prosperis rebus
aque gaudemus, adversas vero feramus etiam
gravius. Diuturnioris familiaritatis usus at-
que intimioris amicitiae fides, qua conjungimur, ita
comparata sunt, ut non possim non Tecum gaudere
summopere de publico diligentiae ac eruditiois Tuae
specimine, quo summatam juris dignitatem in Te con-
ferri, jure meritoque postulas. Ipsa dissertatio, quam
de inquirenda legum iustitia impigre defendis, ani-
mum iustitia affectum insigni documento comprobat,
qua sola pie culta amplissimis reipubl. maneribus
obeundis dignissimum Te semper reddere poterit. Ac-
cipe igitur vota, CANDIDATE DIGNISSIME,
amicie suavissime! quae pro felicitate, honore atque
incolumitate tua ex intima cordis sinceritate fundo.
Faxit Deus, supremus iustitiae praeses, ut in juris at-
que iustitiae administratione parentum tuorum vesti-
giis inhaereas feliciter, eo que ipso in gubernanda re-
publ. illis non existas inferior. Conjunge porro cum

D 2 studio-

studiorum industria aequitatem ac sinceritatem animi, veritatem, justitiae & rectitudinis zelum ab omni fraude atque simulatione remotum; & sic inclytae tuae conservabis familiae splendorem & augebis merita erga patriam, quibus maiores tui excellunt pridem, fructusque justitiae, quos cives tuos percipere curabis, in Te ipsum redundare, nunquam dubitabis. Ceterum fate amico, Tibi studium academicum emensa, sincere plaudenti, certoque animo persuasum habbe, sponsam inter nos mutuam amicitiam non locorum diffitate, non temporum diuturnitate, sed die fatali, qui vincula omnium rerum disrumpit, dissoluunt iri. Vale.

PRAENOBILISSIMO NEC NON DOCTISSIMO
DOMINO RESPONDENTI,

AMICO SUO DILECTISSIMO,

S. P. D.

Ladislaus Barányi de Wárad,

DEBRETZINO-HUNGARUS,

OPPONENTS.

Si de mortalium vel felicitate, vel statu minus secundo, ex ipsis licet coniicere qualitatibus: sane ego te iam a longo tempore praevidi, certoque credidi, cum futurum, quem cognitum, accepto ex insigni indole argumento, speraueram. Illam vero

vero conieeturam, sicutque in TE collocatam meam,
nunc comprobata oculis cerno, postquam consentien-
tibus celissimorum Virorum placitis Licentia*t* TIBI
gradus oblatus es. Quamobrem nequit non utrique
nostrum animus merito gratulari meus: TIBI, qui
gradu honoris donatus es, mediante specimine profe-
ctus TVI, cunctis admirationem imponente; mihi
vero, qui de ventura felicitate TVA tam certum mihi
promisi. Licentia*t* es, optabile ac honorificum!
Quaenam enim optabiliores, quaenam TE digniores
reperiri possent, quam ea contendere, ad idque miti,
quae non solum TIBI, sed & proximo TVO maxi-
mum adferunt emolumentum. Quid incundius illo
munere, quo cum laude atque ex fide functus non vni
alicui, sed toti ciuitati, quim & vniuersae reipublicae
maxima subinde praestabis. Habet profecto nunc,
DN. HARTLIEB DICTE WALLSPORN, oc-
casionem, qua TVA eruditio ac scientia eluceat. Ar-
dua haec quidem ac difficultia, confiteor, sed etiam tan-
to praeclariora, ac cum immortali fama celebritate
que coniuncta. Veniet enim tempus, quo vel etiam
vulgum, de meritis TVIS praedicantem, non sine
voluptate intelliges. Ego vero id solum expeto, vt
qui TE in hunc dignitatis gradum collocauit, (collo-
cauit autem summus rerum arbiter, Deus,) idem fa-
uet porro muneribus suis, nouoque isti honori addat
perpetuitatem. Vale. Halae ad Salam d. 24. Maii
MDCCXLIX.

NOBI-

NOBILISSIMO
GENEROSO ATQUE DOCTISSIMO
SIGISM. DAV. DE HARTLIEB
FAVSTA QVAEQVE PRECATVR
OPPONENS
Ioannes de Csatári,
DEBRECZINO-HVNGARVS.

Absoluto tandem, AMICISSIME DE
HARTLIEB, Studiorum Academicorum
stadio, consequeris exoptatum lugubratio-
num TVARVM scopum; suscipis enim hodie splen-
dida praeclaraque DIGNITATIS LICENTIATI-
munera, summosque legitimae scientiae honores,
quam & augustissimi olim Imperatores tanto maestra-
bant amore, ut condendis, digerendisque legibus ipsi-
met etiam operas dederint. Nunc itaque TIBI, DO-
CTISSIME CANDIDATE! de hac venustissima ini-
augurali commentatione, ex animo gratulor, vltterio-
resque, sincero pectore appreco successus, diligentiae
atque virtutibus TVIS pares. Vale, amareque, terris
quidem disjunctum, animo tamen TIBI deditissimum, ne
define. Dabam in Alma Fridericiana die XXI.
Maii MDCCXLIX.



Halle, Diss.) 1749

ULB Halle
002 729 393

3



SB

Farbkarte #13

	Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9
Centimetres	2.5	5.0	7.5	10.0	12.5	15.0	17.5	20.0	22.5

B.I.G.

Q. D. B. V.
INAUGVRALIS IVRIDICA
QVA

E G E S 1749 NDI CONSVETAS 3a

A D
IVSTITIAEQVE
AM EXAMINATAS

VLTATIS IVRIDICAE INDVLTV
B PRAESIDIO

ITISSIMI ATQVE CONSVLTISSIMI
D O M I N I

AMVELIS FRIDERICI
HMERI ICTI
PALATINI CAESAREI

E REGI A CONSILIIS AVLICIS
IVRIS ORDINARII

ATIS IVRIDICAE H. T. DECANI

VTROQVE IVRE HONORIEVS
IVILEGIIS IMPETRANDIS

MAII MDCCXLIX.

H. L. Q. C.

ENTILANDAS PROPONIT

AVCTOR

RTLIEBDICTVS WALLSPORN

MINGA - SVEVVS.

MAGDEBURGICAE
TIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

